

genitis vel deinde propria culpa additis dolemus, poenitentia *lapsorum* dicitur. *Relapsorum* est eorum, qui iam antea semel iterumque acta poenitentia, consecuti sunt gratiam, et tamen in priora peccata relabentes, poenitentiam repetiere.

II. Relapsorum est vel *quotidiana*, de peccatis ex infirmitate commissis, vel *temporaria*, de peccatis mortalibus. Illa stantium, haec lapsorum ab aliis vocatur, quanquam illa non in eo rigore poenitentia dicatur, ac haec posterior.

§. 27. *Finis* poenitentiae *immediatus* est *transpositio* e statu irae diuinae in statum gratiae. Act. II, 38. *Mediatus* et *ultimus* vitae aeternae consecutio, Act. XI, 18. 2. Cor. VII, 10.

*De fine  
Poenit.*

§. 28. *Praxis* huius articuli consistit in *applicatione doctrinae* haecenus propositae, ut non sciamus tantum poenitendum esse de peccatis, sed, ut re ipsa poeniteamus, et, si poenitere volumus, poenitentiam veram a fucata distinguamus. Fucata autem poenitentia est, non tantum, quando simulamus nos poenitere, *Achabi* exemplo, cum ex animi nostri sententia a poenitentia simus longe remoti, sed et cum intra animum nostrum persuasi sumus, vere nos poenitere, cum tamen eo modo non poeniteamus, quem nobis Scriptura praescribit. Nec enim quicquam DEO placet, quin voluntatis suae beneplacito antea fuerit consecratum.

*Praxis  
articuli.*

(Fecht, Comp.)

B b b

C A P V T